

buntur. Infirmiori palato cordis, et animæ languenti adhuc dura et insipida res videtur esse justitia; sed qui gustaverunt, ecce ipsi sciunt quam beati sunt qui esuriunt illam, quoniam ipsi saturabuntur. O vere felix et gloriosa satietas! o sanctum convivium! o desiderabiles epulæ! ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, et summum inerit de-iderium. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Jam vero hoc verbum adversus Adam procedere credo, qui portionem quidem aliquam videtur tenuisse justitiæ, in eo quod mulieri compassus est; sed si esurisset justitiam, curasset sine dubio reddere quod debebat, non modo uxori, sed multo magis Creatori. Debat enim uxori compassionem utique et disciplinam, tanquam inferiori. Caput enim mulieris vir (*Ephes. v. 23*). Debat autem Deo obedientiam atque subjectionem. Sed quid putamus, fratres, quamplurimi usque hodie factum illud graviter dijudicant, et tamen insipienter imitantur? Indignantur adversus Adam, quod obedierit voci uxoris suæ, plus quam Dei; et ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicet, audiunt plus quam Deum. Fratres, si modo præsentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor ejus, coartari inter precem uxoris, et præceptum Creatoris; nonne clamaremus adversus illum, dicentes: Cave tibi, miser, vide ne feceris; seducta est mulier, non acquiescas ei? Ut quid ergo, quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis? *Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sed quid potest esse omnis justitia nostra coram Deo? Nonne juxta prophetam, *velut pannus menstruatae* reputabitur (*Isai. LXIV, 6*) et **1028** si districte judicetur, injusta invenietur omnis justitia nostra, et minus habens? Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere justitia? Propterea obnixè cum Propheta clamantes: *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine* (*Psal. CXLII, 2*), tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest salvare animas nostras, et sollicitè pensemus quod sequitur:

12. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et attende, quemadmodum Zacchæus breviter uno verbo utrumque complectitur, dicens: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quempiam defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc. XIX, 8*). Vides quantum esurit iste justitiam, cui non sufficit æqua mensura reddere, nisi reddat quadruplum. Misericordia quoque magna est, quod dimidium bonorum suorum dat pauperibus. Verumtamen non silebo ego quod sentio. Laudem Domini loquetur os meum: Domini plane, non vestram. Neque enim vobis, sed nomini ejus do gloriam. Zacchæus certe, cujus laus est in Evangelio, dimidium bonorum suorum dedit pauperibus; sed ego multos Zacchæos hic video, qui nihil sibi ex omnibus reliquere. Quis mihi scribet hoc Evangelium de Zacchæis istis, imo

A de Petris istis, qui fiducialiter loquantur Domino: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te?* (*Matth. XIX, 27*.) Sed scriptum est jam in Evangelio æterno, in libro vitæ scriptum est et signatum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Jam vero, fratres, Adæ crudelitatem hæc sententia tangit, qui videbatur prius uxoris amore peccasse. Ecce enim scimus, o Adam, quia os de ossibus tuis, et caro de carne tua est, et ejus amore peccasti. Videamus nunc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in ultionem prævaricationis: opponere te discrimini propter illam, et dic: Domine, mulier infirmior est, mulier seducta est: mea est iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic: *Mulier, inquit, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen. III, 12*). O perversitas! Pœnam pro ea suscipere refugis, et culpam admittere non recusasti! Quomodo, pro dolor! omnia confudisti! perniciosè misericors, ubi severus esse debueras; et perniciosius crudelis, ubi misericordiam impendere oportebat? Nam delinquere propter illam nullo modo, satisfacere vero pro ea libenti animo debuisti. Sic enim oportet fieri, fratres, ut nunquam propter alium homo peccet, quod est justitiæ: et libenter aliena peccata portet, quod est misericordiæ. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sequitur:

C **13. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.** Beati plane, et omnino beati, qui videbunt in quem desiderant angeli prospicere, quem videre vita æterna est. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine, requiram* (*Psal. XXVI, 8*). *Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* (*Psal. LXXII, 25, 26*). Quando adimplebis me lætitiæ cum vultu tuo? Væ mihi ab immunditia cordis mei! qua impediende, necdum mereor ad beatam illam visionem admitti. Quanta sollicitudine, fratres, quanto studio danda est opera, ut mundari possit oculus, quo videndus est Deus? Et ego quidem triplici sorde inquinari me sentio; concupiscentia carnis, et concupiscentia gloriæ temporalis, et præteritorum conscientia delictorum. Sunt enim in anima motus quidam utrorumque desideriorum, quos nec ratione, nec viribus extinguere possum, quando sum in hoc sæculo nequam, et in corpore mortis teneor alligatus. Attamen contra sordes istas orationis oppone remedium; et propterea sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri qui solus mundus est, et potest facere mundum de immundo conceptum semine. Sic et contra peccati conscientiam remedium confessionis est institutum; et omnia in confessione lavantur. Ecce hæc sunt quæ mundant **1029** oculum cordis, oratio et confessio. Porro *beati mundo corde, quo-*

niam ipsi Deum videbunt. Videbunt quidem in fine facie ad faciem; videbunt etiam nunc, sed per speculum in ænigmatè; et nunc cognoscunt ex parte, perfecte postea cognituri. Omnis enim in cujus conscientia clausum adhuc peccatum vivit, aut peccat in spe, et ita sentit de Deo, tanquam si minus ei peccata displiceant; aut peccat in desperatione, immisericordem sentiens Deum. Quorum utriusque merito dicitur: *Existimasti inique, quod ero tui similis* (*Psal. XLIX, 21*): quoniam neuter Deum videt sed mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse. Beati vero mundo corde, quoniam ipsi soli Deum vident, soli de eo sentiunt in bonitate: sicut vere bonus est, ita ut nemo bonus sit nisi ipse *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Miseri proinde Adam et Eva, qui conversi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, dum confessionis mundationem fugiunt, immundo remanent corde, et a facie Domini ejiciuntur. Sequitur:

14. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Merito filii nomine vocabuntur, qui filii opus impleverint. Ipse enim est, per quem reconciliati pacem habemus ad Deum: ipse qui pacificavit in sanguine suo quæ in cælis sunt, et quæ super terram, mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Et attende quemadmodum in tribus quidem prioribus sibi ipsi reconciliatur anima; in duobus quæ sequuntur, proximo; in sexto, Deo; in septimo etiam alios reconciliat, tanquam receptus in gratiam Domini, et felici familiaritate donatus. Nam paupertate, mansuetudine, fletu renovatur in anima similitudo quædam et imago æternitatis omnia tempora complectentis, dum paupertate futura meretur, mansuetudine sibi præsentia vindicat, luctu poenitentiae præterita quoque recuperat, sicut scriptum est: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (*Isai. XXXVIII, 15*). Porro justitia et misericordia perfecte proximo cohæremus, dum quidquid nolumus nobis fieri, aliis non faciamus per justitiam; et quæcunque volumus ut faciant nobis homines, et nos faciamus illis per misericordiam. Jam reconciliati nobis, reconciliati etiam proximo, fiducialiter per munditiam cordis reconciliamur Deo. Beati vero, qui de sua reconciliatione non ingrati, et pro fratribus suis pie solliciti, eos quoque, quantum prævalent, et sibi, et Deo reconciliare laborant. Quibus enim laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu fratrem illum, qui sine querela conversans inter fratres, tota sollicitudine cavet, ne quid in eo sit quod ab aliis portari oporteat; ei quidquid in aliis est onerosum, patientissime portat? qui singulorum scandala sua reputat; qui cum Apostolo loquitur: *Quis scandalizatur et ego non uror? quis infirmatur et ego non infirmor?* (*II Cor. XI, 29*.) *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.* Non est enim Deus dissensionis, sed pacis: ideoque filios pacis, Dei quoque filios dignum est appellari.

15. Jam quæ sequitur octava beatitudo, martyrum est prærogativa: cujus nobis tolerantia nec

A tempus videtur esse, nec virtus. Honoratur nunc justitia magis quantum in facie est: aut nulli, aut pauci pro ea sustinent persecutionem. Felices tamen, si qui sunt, quoniam ipsorum est regnum cælorum, ut [*alias, ubi*] eos nemo persequatur. Quod si multiplex fuerit tribulatio, tunc quoque multiplicius exultandum, non intuentibus quæ videntur incommoda; sed præmia, quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. *Beati, inquit, eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et ejecerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete in illa die, et exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cælis, copiosior longe quam sit labor in terris.* Verumtamen quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus et martyribus, nisi quia vere martyrii genus paupertas voluntaria est? *Beatus vir, ait Propheta, qui post aurum non abiit nec speravit in thesauris pecuniæ. Quis est hic, et laudabimus eum?* **1030** *Fecit enim mirabilia in vita sua* (*Eccli. XXXI, 8, 9*). Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus? An non merito coronabitur qui sic certaverit, mundum abiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et, quod gloriosius est, de semetipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter et martyribus regnum cælorum promittitur, quia pauperate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.

SERMO II.

De statu sanctorum ante resurrectionem.

1. Quia Sanctorum omnium festivam hodie, dilectissimi, omnique dignissimam devotione memoriam celebramus, operæ pretium puto de communi eorum felicitate, in qua beata jam requie perfruuntur, et futura quam præstolantur consummatione, adjuvante Spiritu sancto sermonem facere charitati vestræ, ita sane, ut non opinionis propriæ conjecturas, sed divinorum librorum sequar auctoritatem; ne prophetare videar de corde meo, sed innitar, quoad potero, testimoniis Scripturarum. Erit enim, præstante Domino, triplex sermonis hujus utilitas, quatenus agnita, vel ex parte aliqua, felici retributione sanctorum, abundantiori deinceps sollicitudine ipsorum inhærere vestigiis, ac ferventiori desiderio ad eorum suspirare consortia propensiori quoque devotione eorumdem nos commendare patrociniis studeamus. Fidelis quippe sermo, et omni acceptione dignus, ut quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur: quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus: quorum delectamur præconiis, sublevemur eorum patrociniis. Nec sane parum fructuosa invenitur memoria festiva sanctorum, languorem, teporem,

erroremque depellens: cum eorum intercessione juvetur infirmitas nostra, consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra, ignorantia quoque nostra ipsorum erudiat exemplis. Propterea cum perfecte eruditos vos ad imitanda sanctorum vestigia, hodierna sancti Evangelii lectione, et ipsius Domini sermone non dubitem, erecta nimirum ante oculos vestros scala, per quam universus, quem hodie veneramur, sanctorum chorus ascendit; nec ignorem implorandis eorum suffragiis totum paulo minus noctis et diei hujus religiosa devotione tempus expensum: jam de eorum felicitate loqui vel exiguum aliquid attentabo, quod donaverit ipse, qui eos et magnificat jam et glorificat, quos vocavit primus atque justificavit.

2. Legimus in Propheta: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu* (Psal. cxiv, 7, 8); et in alio psalmo: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium* (Psal. cxxiii, 7). Multa quoque similia in divinarum reperisse mihi videor serie Scripturarum verba hominum, qui liberatos se esse non sine multa admiratione lætantur, verba perfectæ securitatis et felicitatis immensæ, vocem gratiarum actionis et lætitiæ, quam pro meo sapere his qui luteas adhuc domos inhabitant, et in sudore vultus sui comedunt panem suum, omnino non arbitror convenire. Quis enim eorum gloriabitur castum se habere cor? quis audeat gloriari contritum esse laqueum, liberatos pedes suos a lapsu, reclamante nimirum Apostolo, et dicente: *Qui stat, videat ne cadat?* (I Cor. x, 12.) Unde et de semetipso: *Infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. vii, 24.) Et alio in loco: *Fratres, inquit, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ retro sunt oblitus, et in ea quæ ante me sunt extensus, sequor ad palmam* (Philipp. iii, 13, 14), etc. **1031** Itemque: *Ego, ait, sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum et servituti subijcio, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (I Cor. ix, 26, 27). Hæc plane tuba militiæ est, hæc verba duci, strenui fortiter dimicantis. Nam superiora quidem videntur potius triumphantis, aut certe necdum quidem triumphantis, sed cum victoria jam redeuntis de prælio, et futuram magni triumphi diem læta ac securâ conscientia præstolantis.

3. Quid enim loquitur reversus de prælio fortis miles, servus fidelis? *Convertere jam, inquit, anima mea, in requiem tuam.* Dum enim in corpore mortis Domino militares, nulla requies erat, tum pro labore certaminis, tum pro periculo exitus adhuc incerti. Hinc excitabat tumultus tentationum, inde succumbendi metus gravius sollicitabat. Habebat tamen, fratres, etiam tunc gloriam miles Christi, licet requiem non haberet. Ait siquidem strenuus ille et fortissimus miles, cujus et paulo ante fecimus mentionem: *Gloria nostra hæc est testimonium*

conscientiæ nostræ (II Cor. i, 12). Quod conscientiæ testimonium non sic intelligendum puto, tanquam ipsa sibi conscientia attestetur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat (II Cor. x, 18). Est ergo testimonium conscientiæ in quo gloriatur Apostolus, non quod perhibeat conscientia, sed quod loquitur Spiritus veritatis in ipsa, testimonium perhibens spiritui nostro, quod filii Dei sumus (Rom. viii, 16). Est enim testimonium conscientiæ non perhibentis, sed percipientis. Cum enim veritas applaudit, cum justitia attestatur, Dei sine dubio commendantis vox est, et Spiritus sancti testimonium perhibentis, ac si decertanti viriliter militi rex suus, pro cuius amore et honore decertat prope assistens lætus applaudit, laudet fortia facta, proximam clamitet esse victoriam, parata jam præmia, et coronam polliceatur æternam. In quo testimonio gloriatur quidem probatus et strenuus miles; minime tamen quiescit, sed tanto acrius virilisque decertat. Itaque dum adhuc militant, gaudent utique electi Dei, sed tantum de primitiis Spiritus, qui et infirmitatem eorum adjuvat virtute sua, et pusillanimitatem sua consolatur attestations. Unde et is, de quo loquebamur. Apostolus: *Non est, inquit, regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto* (Rom. xiv, 17).

4. Jam vero consummato militiæ tempore gaudium habent sancti etiam in spiritu suo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri et in ipso corpore suo. Sic enim habemus in Psalmo: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiæ in corde meo?* Unde? Plane ex his quæ sequuntur: *A fructu frumenti vini et olei sui* (Psal. iv, 7, 8). Audivit enim ejusmodi anima vocem dicentis: *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus* (Prov. xxxi, 31). Unde et Joannes scribere jubetur in Apocalypsi, quoniam beati mortui qui in Domino moriuntur. Quare beati? *Amodo enim jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (Apoc. xiv, 13). Unde et in ipso de quo paulo ante loquebamur psalmo, eis quæ supra posuimus verbis adjunctum est: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (Psal. iv, 9). Et de operibus habemus in Apocalypsi: *Opera enim illorum sequuntur illos* (Apoc. xiv, 13). Ad quid vero sequuntur, nisi ut laudent eos in portis? Ad quid sequuntur, nisi ut multiplicentur a fructu eorum, et accipientes de fructu manuum suarum, saginentur vituli, quos ex prophético testimonio, cum reedificabuntur muri Jerusalem, super altare Domini novimus imponendos? (Psal. l, 20, 21.) Interim quippe sub altari eos esse, et non supra, ipse nos doceat, cujus testimonium credibile factum est nimis, qui, ut scribit in Apocalypsi, sub altari ipso eorum etiam voces audivit (Apoc. vi, 9, 10). Adhuc ergo signatum (69)

(69) Id est obsignatum, nondum reseratum vel manifestatum, uti apparet tum ex consequentibus

est super eos lumen vultus Dominici: et licet non plenam, habent tamen lætitiæ multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos lætitiæ tum ex sermone 4, num. 3, ubi ait animus, ab beatorum nunc solam conspicuam esse Christi humanitatem, non ipsam divinitatem. Plura ejusmodi loca occurrunt in Bernardo, quibus eorum videtur accedere sententiæ, qui docent animas justorum post hanc vitam, ante generalem corporum resurrectionem et extremum judicium, non admitti ad illam beatitudinem quæ in Dei visione consistit; sed interim versari in quadam felicitate imperfecta, quæ dolorem quidem omnem excluderet, refrigerium, quietem, lucem, gaudium præstaret, nondum tamen earum desiderium explet. Hoc docuisse ferunt Joannem XXII pontificem, et Parisiensibus theologis idem mandasse docendum. Huic, inquam, opinioni videtur favere Bernardus compluribus locis, quibus hic simul et semel antidotum adhibere non abs re fuerit. Nam, præter verba citata, rursus serm. 3 de Omnibus sanctis, tres facit animarum sanctarum status: primum, in corpore corruptibili; secundum, sine corpore; tertium, in beatitudine consummata: primum, in tabernaculis; secundum, in atriis; tertium, in domo Dei, in quam domum negat eas sine corporibus intraturas. Et serm. 4 dicit animas martyrum esse sub altari, quia solum vident Christi humanitatem; post corporum autem resurrectionem exaltandas esse super altare ad videndum ejus divinitatem. Similis locus est sermone 4 in Dedicatione Ecclesiæ, et alibi.

Porro communis sanctorum Patrum et Ecclesiæ doctorum sententia est, animas priorum corporibus solutas non modo jam cælo receptas esse, et cum Christo regnare, sed simpliciter beatas esse, et Dei conspectu frui. De Augustini circa hanc questionem sententia varie censent. Sunt qui putent illum de loco animarum justarum hæsisse ancipitem, utrum jam in cælo sint an alibi. Lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 3, Ench. cap. 108, lib. xii. De Civitate Dei, cap. 9, et alibi, animas justorum collocat in occultis sedibus, in secretis et additis receptaculis. Tract. 49 in Joannem, inter ea quæ promissa illis, et nondum præstita, numerat vitam æternam cum angelis, et lib. i Retract., cap. 14, dicit merito quæri de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, in qua sanctos angelos esse non dubitatur. Vide similia apud eundem. lib. xii de Genesi ad litt., cap. 35. Item in psal. xxxvi: «Post hanc vitam,» inquit, «nondum eris ubi erunt sancti, quibus dicetur; Venite, benedicti,» etc. Vide epist. 111 ad Fortun.; Tract. 53 et 111 in Joannem; Expos. psal. lxxxv; serm. 1 super psal. xlviii; lib. De spiritu et litera, cap. 21. Quibus locis significat pios non admittendos ad visionem beatificam ante extremum judicium.

Verum non de loco, sed potius de statu animarum ambigere Augustinum, studiosus ejus lector advertet. Sensit quippe animas sanctorum videre quidem Deum facie ad faciem, sed non ita perfecte quomodo videbunt post resurrectionem; idque propterea, quod naturalis earum appetitus, quo feruntur erga corpus, ut ei rursus uniantur ipsumque administrant, remoretur eas, quominus tota intentione ferantur in Deum, et proinde nondum pervenerint ad æqualitatem angelorum, qui nullo impedimento retardantur quominus toti ferantur in Deum. Hoc ipsum tamen non ita sensit Augustinus, ut id pro certo haberet. Nam, licet lib. xxii de Genesi ad litt. id affirmare videatur, attamen postea, lib. i Retract., cap. 14, significat se adhuc dubitare. Quæ quidem quæstio, an videlicet animæ beatorum ita perfecte Deum nunc videant, ac post resurrectionem, necdum quidem

cum **1032** vultu suo. Interim, inquam, convertuntur animæ illæ in requiem suam, donec veniat dies qua introire mereantur in requiem Domini. Adhuc omnino determinata est, nisi quod concilium Florentinum, cum dicit sanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen fruituras cum suis corporibus, postquam resurrexerint, videri cuiquam possit ad Augustini sententiam deflectere. Quamvis hoc alii rectius non de intentioni, sed extensioni beatitudinis potent esse intelligendum, propter beatitudinem corporis, quæ ad priorem animæ beatitudinem accedet.

Eodem modo verba S. Bernardi intelligenda sunt. Tantum enim negat animas sanctorum tam perfecte nunc videre Deum, quam visuræ sint receptis corporibus. Nam hoc eum sentire probant ista verba serm. 3 de Omnibus sanctis, quibus sic carnem alloquitur: «Animæ sanctæ te desiderant: ipsarum sine te compleri lætitiæ, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in iis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, et rugam faciat, dum inclinatur desiderio tui.» Et serm. 87 de Divers.: «A perfecta,» inquit, «contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi præstolantur.»

Sic Bernardus Augustini sententiam in ea re secutus, quam et sequitur S. Thom. Bonavent. Richard. et Marsil. scribentes in dist. 49, 4 sent. Tametsi S. Thomas sententiam postea mutarit. Nam 1. 2, q. 4, art. 5, aperte docet, quod resumpto corpore beatitudo animæ crescat non intensive, sed extensive.

Cæterum de statu animarum sanctarum post hanc vitam, censet primo Bernardus eas esse in cælo, ut clare testatur variis in locis, maxime serm. 4 de Omnibus sanctis, ubi distinguens inter sinum Abrahamæ et animarum beatarum, dicit «illum fuisse in tenebris, hunc in luce multa; in inferno illum, istum in cælo.» Secundo, «recepisse jam stolas singulas, sed nondum duplices,» serm. 3 de Omnibus sanctis, ubi explicans stolam utramque, «Stola,» inquit, «prima, ipsa est quam diximus, felicitas et requies animarum: secunda vero, immortalitas et gloria corporum.» Tertio denique, quod etiam fruuntur visione divina, satis aperte suam promittentiam variis in locis. Nam lib. De diligendo Deo, circa finem dicit: «Martyres immersos esse immenso pelago æterni luminis, et luminosæ æternitatis.» Et epistola ad fratres de Hibernia dicit: «Animam Malachiæ non jam in fide ambulare, sed in specie regnare.» Et sermone de eodem, dicit: «Eum pari gloria et felicitate regnare cum angelis.» Sermon. 3 in die Palmarum, num. 5, serm. 1 Pentecost., serm. 2 de Ascens.; item serm. 6 in Cant. dicit quosdam jam meruisse introduci in Sancta sanctorum, ubi videant faciem stantis, id est claritatem incommutabilis Dei. Similia quædam generaliter de sanctorum animabus testatur serm. 4 et 5 de Omnibus sanctis et de Obitu Humberti, epist. 98, n. 8, rursus epist. 266, et alibi sæpius. Et hæc quidem sententia definita est in concilio Florentino, in quo Patres definiere, «animas purgatas in cælum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum triam et unum sicuti est.» Cui accessit decretum concilii Tridentini, sess. 25, asserentis «sanctos cum Christo regnare, et æterna felicitate in cælo frui.» Vide Bened. Justini in epist. ad Philipp., cap. i, § 21, in illa verba. *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*, ubi observat ex Chrysostomo, Theophylacto et aliis, non vere pro lucro habendam esse mortem, nisi statim justorum animæ ad Dei conspectum evehantur.

laudant eas in portis opera sua, donec veniat, cum erit unicuique laus a Deo. Videtis, fratres, quanta est unitas Scripturarum, quam uno sensu et eis dem pene verbis de beatitudine loquantur animarum.

5. Jam vero nemo ex vobis parvam aliquam requiem, aut lætitiā suspicetur eorum, qui ab omni penitus molestia liberi recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ; lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, annis quibus viderunt mala; cum jucunda admiratione et mira jucunditate considerant pericula quæ evaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt; et pro his omnibus certa et indubitata fide expectant beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris sui, qui resuscitabit et reformabit corpora eorum, configurata proprii corporis claritati.

6. Quanta est felicitas eorum, quam immensa lætitia! qui nimirum triplici gaudio, de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, de certa expectatione futuræ consummationis exsultant. Nam de futura illa consummatione habemus vocem eorum in fine ejus psalmi, de quo superius loquebamur. Dicunt enim singulæ animæ, quibus jam datum est ad hanc requiem pervenire: *In pace in idipsum dormiam et requiescam; quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Singulariter, inquam, in spe, non jam inter spem et metum, ubi prius non sine sollicitudine et anxietate plurima fluctuabam. Sic et de præsentis sanctorum requie habemus in alio psalmo scriptum: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Bene, inquam, fecit, quamvis necdum optime. Denique audi quam bene: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu (Psal. cxiv, 7, 8):* id est a peccato omni et a peccati pœna, a timore quoque et a periculo recidendi penitus liberavit. Hoc est suavissimum animæ stratum, quod nullis jam lavet aut riget lacrymis, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ejus. Hoc cubile, in quo jam non compungitur, nec convertitur in ærumna sua, dum configitur spina. Exiit enim de terra illa, quæ spinas ei et tribulos germinabat. Hoc plane stratum animæ, quod minime jam versatur in infirmitate ejus; quoniam universa quæ infirmitatis erant, pariter transierunt. Hæc est, inquam, animæ suavissima et saluberrima requies, conscientia munda, quieta, segura. Sit ergo beatæ animæ culcitra conscientiæ suæ puritas, sit capitale tranquillitas, sit opertorium ejus securitas: ut in hoc interstrato dormiat delectabiliter, feliciter requiescat.

7. Jam vero de recordatione transactæ virtutis habes in psalmo centesimo vicesimo tertio manifeste verba eorum, quæ superius quoque commemoravi. Considerant enim et multa cum admiratione recogitant, a quibus laqueis, quantisque periculis divino meruerint auxilio liberari, et exsultantes in Domino dicunt: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis,*

cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos. Torrentem pertransiit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem; et addunt: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captivem dentibus eorum (Psal. cxxiii, 1-6). Sed et verba quæ jam tempore suæ resolutionis instante loquebatur Apostolus, de eo in quo nunc feliciter requiescit statu præsumpta, videntur et nunc ei multo melius convenire: nunc enim jam secure loquitur: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem justus iudex (II Tim. iv, 7, 8).* Hæc sunt, dico vobis, fratres, hæc modo sunt universa sanctorum negotia, hic cibus, hic somnus eorum: et propterea **1033** voluit Spiritus sanctus scribi verba ea quæ protulimus, cæteraque similia, ut ex his aliquatenus innotesceret nobis status eorum.

8. Longe aliter tamen afficiuntur in hujusmodi meditationibus, et multo amplius delectantur, quam nostra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Audi enim quomodo labore propheta inculcans, et multiplicans verba, nec tamen sic digne magnificare velens quod intendit. *Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Quid tamen addidisti? Perfecisti, inquit, eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum (Psal. xxx, 20).* Est ergo multitudo dulcedinis, quæ abscondita est, magna quidem et magna valde, necdum tamen perfecta; quoniam in manifesto perficietur, non in abscondito, quando non sub altari requiescent sancti, sed super thronos tanquam iudices residebunt. Ad requiem enim exutæ a corporibus animæ sanctæ protinus admittuntur; ad plenam autem gloriam regni non ita. *Me expectant justii, ait Propheta, cum adhuc detineretur in custodia corporis hujus, donec retribuas mihi (Psal. cxli, 8).* Et vox divina ad animas sanctas corporum suorum resurrectionem flagitantes. *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum (Apoc. vi, 11).* Sed jam sermo claudendus est: vocant enim nos missarum adhuc celebranda solemnia. Quod ergo restat adhuc de eadem materia, sermoni alteri reservemus.

SERMO III.

Quomodo animæ sanctæ erunt sine macula et ruga.

1. Advertistis, nisi fallor, ex his quæ præcedente sermone sunt dicta, tres esse sanctorum status animarum, primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in corpore jam glorificato. Primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata; primum denique in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* multo magis tamen atria concupiscibilia, secundum quod addit: *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (Psal. lxxxiii, 1, 2).* Sed quoniam in ipsis quoque atriis nonnullus, ut audis, defectus est, beati omnino qui ha-

bitant in domo tua, Domine. Lætatus sum plane in his quæ dicta sunt mihi, fratres, quoniam in domum Domini ibimus. Quod si quæritis, unde id tam fiducialiter præsumam: inde sine dubio, quod jam multi ex nobis in atriis stent, expectantes donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur; nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam. Propterea cum resurrectionem expeterent corporum, sicut priore sermone jam diximus, acceperunt divinum responsum, dicens: *Sustinete modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum vestrorum (Apoc. vi, 11).* Acceperunt tamen jam singulas stolas; sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos: quomodo de patriarchis et de prophetis ait Apostolus: *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur (Hebr. xi, 40).* Stola enim prima ipsa est, quam diximus, felicitas et requies animarum: secunda vero immortalitas et gloria corporum. Unde et dicunt: *Vindica, Domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est (Apoc. vi, 10),* non tanquam vindictæ cupidus, nec de propria ultionis zelo; sed ex desiderio resurrectionis et glorificationis corporum suorum, quam nimirum usque in diem iudicii differendam esse non dubitant.

2. Sed unde hoc tibi, o misera caro, o fœda, o fetida, unde tibi hoc; Animæ sanctæ, quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te expectant; et ipsarum sine te comperi **1034** lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodam modo, et rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui. Unde et beatus Joannes, qui multa nobis de eo statu, in quo feliciter beatæ animæ requiescunt, per Spiritum reseravit: *Sine macula, inquit, suus ante thronum Dei (Apoc. xiv, 5),* Sine macula, inquam, sed necdum sine ruga; donec veniat dies, cum sibi gloriosam Christus exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. In his namque qui adhuc militant, nec sine macula quidem Ecclesia est; quoniam nemo mundus a sorde nec infans, cujus est unius diei vita super terram: quam utique vitam beatus Job militiam esse testatur (*Job. vii, 1*). In his vero qui sub altare Domini requiescunt, jam quidem sine macula est Ecclesia, sicut habes in psalmo: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur, inquit, sine macula (Psal. xiv, 1, 2).* Hic ergo requiescet in monte Domini, qui ingreditur sine macula: qui vero fuerit sine ruga, exaltabitur supra montem. Sed si vis scire quando erunt sine ruga animæ sanctæ, quando extendentur cœli sicut pellis, quæ

dilatatur penitus, ut nec minima quidem ruga inveniat in ea: tunc sine dubio, quando jam sequentur Agnum quocumque ierit. Vere enim extendi et dilatari necesse est animas, quibus utique sequendus est Agnus. Quo enim vadit? Attingit profecto a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.

3. Vis adhuc nosse quo eat Agnus, et quo necesse habeant beatæ animæ sequi eum? *In omnibus requiem quæsvi (Eccli. xxiv, 14).* Hæc est plane requies Domini, non intercisca, non circa aliquid certum restricta; quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit, et invenit. Nam et bona ei placent in seipsis, et delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Diligit misericordiam et iudicium: nec modo in honorum gloria sibi complacet, sed in ipsis quoque, utpote justis, suppliciis impiorum. Quid ergo? putasne, poterit humana anima in hoc gaudium Domini sui, et in hanc ejus requiem intrare, ut et ipsa quoque in omnibus delectetur; nec aliqua jam privata affectione contrahatur in rugam, sed transeat in affectum quemdam generalem atque divinum? Poterit sine dubio, si fidelis inveniat super pauca, quæ accepit militiæ suæ tempore, id est, super artus, super sensus, super appetitus suos, quos suscepit regendos, ut in his probetur, quam fidelis sit Domino suo. Sciat igitur servus Christi vas suum possidere in sanctificatione, glorificet et portet Deum in corpore suo: nec dubium quin fidelem in modico servum supra multa constituat Dominus liberalis et dives. Supra multa plane, quoniam constituet eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Neque id vobis incredibile videatur fratres, tanquam a meipso id loquar: quoniam Veritas ipsa manifeste id pollicetur, cujus de promissione omnino dubitare non licet. *Beatus, ait, servus ille, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum (Matth. xxiv, 46, 47).* Tunc enim fidelis servus constituitur super omnia bona Domini sui, cum in gaudium ejus meretur intrare, et cum eo deinceps lætari in universis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. Etenim *qui adhæret Deo, Apostolo teste, unus cum eo spiritus efficitur (I Cor. vi, 17);* et voluntas ejus omnino divinæ adhærens voluntati fit una cum ea, ut nihil jam, quod contra eam sit, inveniat in omnibus creaturis; sed universa fiant, vel magis maneant pro ejus arbitrio.

4. Hæc est ergo beata spes, quam expectant animæ sanctæ: et licet in gratiarum actione versentur pro ea felicitate, in quam jam requiescunt; adhuc tamen orant et clamant ad Deum pro ea consummatione, quam præstolantur. Unde quemadmodum sine macula quidem vetustatis, sed non sine ruga contractionis eas diximus esse; sic ad gratiarum actionem jam pervenisse videntur, sed necdum ad vocem laudis; quoniam perfectum **1035** perfectos laudare decet, ut laudetur cum hæreditate sua, quando jam et ipsi laudabunt eum, et erit unicuique laus a Deo.